

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Miseria m  
cum fonte primo

Quare de uulua egressus  
sum ut uidarem laborem et  
dolorem, consumerentur in  
confusione dies mei?  
Si talia locutus est de se ille quem  
Deus sanctificauit in utero, qualia  
loquar de me quem mater mea  
genuit in peccato? Heu me! Dixerim:  
Mater, quid me genuisti filium  
amaritudinis et doloris? Quare non in  
uulua mortuus sum, egressus ex utero  
non statim perii? Cur exceptus genibus,  
lactatus uberibus,  
natus in combustionem  
et cibum ignis?  
Vtinam interfectus fuissem in utero  
ut fuissest meum sepulcrum et  
uulua eius conceptus eternus.  
Fuissem enim quasi non essem de utero  
translatus ad tumulum.

Innocencius de uilitate conditionis humane.

“Quare de vulva matris mee egressus  
sum ut viderem laborem et  
dolorem et consumerentur in  
confusione dies mei?” (Ier. 20:18)  
Si talia locutus est ille de se quem  
Deus sanctificavit in utero, qualia  
loquar ego de me, quem mater mea  
genuit in peccato? Heu me, dixerim,  
mater mea, quid me genuisti, filium  
amaritudinis et doloris? “Quare non in  
vulva mortuus sum? Egressus ex utero,  
non statim perii? Cur exceptus genibus,  
lactatus uberibus?” (Iob 3:11-12),  
natus “in combustionem  
et cibum ignis?” (Isa. 9:5)  
Utinam interfectus fuissem in utero,  
“ut fuissest michi mater mea sepulchrum et  
vulva eius conceptus eternus?” (Ier. 20:17).  
“Fuissem enim quasi non essem, de utero  
translatus ad tumulum?” (Iob 10:19).

Innocentius III, *De miseria condicionis*  
*humane*, 1, 1 (R.E. Lewis ed., pp.93, 95,  
ll.1-13).